

Ya
738

X 2002 530

A & Ω.
AUGUSTO BURGUM

in

Illustri propter Salam Academia

Die XXVI. Augusti, ANNO

M. DC. LXXI.

Pietatis, ut in Patriam, officio publicè

laudata

à

M. Johann Wolfgang Köschen/

S. S. Theol. Studio.

7 E N Æ,

Typis JOHANNIS NISL.

48.

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
MAGNIFICENTIAE
SACRAE
CIVITATIS
SALAMAE





SERENISSIMO. ET. POTENTISSIMO.

PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

JOHANNI. GEORGIO.

SECUNDO.

DUCI. SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ.
AC. MONTIUM. S. R. I. ARCHIMAR. SCHALLO.
ET. PRINCIPI. ELECTORI. LANDGRAVIO. THURIN-
GIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ. ET. LUSATIARUM. BURGGR-
VIO. MAGDEBURGENSI. COMITI. MARCÆ. AC.
RAVENSBERGÆ. DYNASTÆ. RAVENSTEINII.

DOMINO. MEO. CLEMENTISSIMO.

HANC.

AUGUSTOBURGUM.

OPTIMA. DEDICATIONIS. LEGE. SACRO.

* * *

SOL. MISENE. TUISCONICI. LUX. ENTHEA. MUNDI
PRIME. DUCUM. SPLENDOR. QUE, POLUS. QUA. SURGIT. UT ERQUE.
EN. TIBI. QUAS. HEROS. AUGUSTUS. CONDIDIT. ARCES
HIC. SUA. QUEM. VIRTUS. ET. FATUM. INSEVIT. OLYMPO.
ILLA. TUIS. ÆDES. RADII. SACRA. FULGURAT. OMNIS
NOX. ET. ABIT. CUNCTIS. QUOS. TU. SPES. UNA. SERENAS.
HINC. BONA. SORS. ET. AMOR. RISUS. QUE. ET. GLORIA. CERTANT
TE. CELEBRARE. CHORIS. QUEM. PAX. VOCAT. ALMA. PARENTEM.
SIC. PLACIDO. HOC. PIETATIS. OPUS. VISE. INCLYTE. VULTU
DUM. MENS. ACTA. DEO. TE. IPSUM. SIBI. NUMEN. ADORET.
ARRHA. FIDEI. GENII. QUE. COIT. POTIORE. CORUSCUS
UT. VINCAS. RADIO. PHOEBEI. SIDERIS. IGNES.

Dem



JESUS!

RECTOR MAGNIFICE

Viri plurimum Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi atque Clarissimi. Tuque in florentissima juventute Ecclesiae ac Reip. spes letissima.



Nil propemodum apud Romanos triumphatores frequentius erat, quam ut victarum captarumve regionum, urbium, arcium & locorum imagines populo praeferrentur: unde cuncti *victoris* fortitudinem & felicitatem gestarum rerum deprehenderent, & admirarentur. Ego verò, licet triumphatoris nomen à me longissimè absit, meae tamen patriae tantò ob beneficia singularia amore obstrictus teneor, ut aliter rebus meis vix consulere valeam, nisi & *VOBIS Auditores Spectatissimi, Augustoburgi*, non ignominiam, sed summam ejus in laudem vel indicem vel ostentem splendorem. Certè enim persuasus sum, non modò admirationem illius in animis vestis genitum, sed & videndi ardorem excitatum iri maximum. Quantopere exterrarum & olim delectamur clararum inscriptis monumentis urbium, famâ, locorumve, quorum tamen vix nomen hodie superfit?

A

Quidni

(2.)

Quidni potius nostras regiones peragremus,
& utiliori digniorive cura trahamur patriæ
terminorum, ejusque locorum celeberrimo-
rum? Ante tot secula deleta Carthago, Athe-
næ, Thebæ, Tyrus, Hierosolyma, Persepolis,
Babylon. Nihilominus tamen harum adhuc
memores ubique sumus. Quod si tantus amor
nobis est in extera, turpe mihi foret, tam cele-
bris adhuc patriæ laudes suppressere, turpius
ignorare. Quare nos relictis in præsentipau-
lum veterum locis & monumentis, beatæ
Misniæ, felicissimos tractus prospectemus
tantò jucundiores, quantò omnia veterum,
quæ famâ solâ constant, rudera horrentiori
obtutu sese obvertant. Certè enim reliquis
Germaniæ partibus præstantiâ & virtute præ-
eminere in confesso erit. Sive animum pasce-
re velitis, & Reipubl. ordo mirabilis & saluta-
ris Doctrinæ Evangelicæ splendor divinus
delectabit: sive sensus & desideria humana
explere satagitis ea terræ fertilitas, ea coeli
ingratia & in ipso terræ gremio thesaurus, in-
colarum mores, artium dignitas præfulget,
ut avarissimis votis non sufficiat modò, sed
magno excessu dominetur. Accedit castello-
rum, urbium, locorumque aliorum ornatus
preciosissimus. Adite, si lubet Dresdam, Lipsi-
am, Pirnam, Königsteinium, Freibergam,
Misenam,

urbium

Misenam, Torgaviam, Chemnitium, Coldizium, VV olckensteinium, termis nobile, & alia plurima. Verumenimverò quanti quanti etiam harum urbium arciumque moles momenti est, tantò quoque *Augustoburgi* nostri magnificentia venit. Ad hoc antequam ostendendum digitum levo, omnis in eo sum, ut *Vestras, Auditores Spectatissimi*, aures quam humaniter & officiosè vellicem, benevolentiamque tester. Quia haud me latet, ejus arcis tam gloriam ingentem creditum iri, quàm si vivis coloribus coràm exprimatur, & utinam id ego possem! non minus jucundam, quam admirabilem vestris oculis visum iri.

Ipsa verò Cytherea ducit choros Venus, junctæque Nymphis gratiæ decentes alterno terras quatiunt pede, quidni & nos viridi nitidum caput impedire myrto ac flore, terræ quem ferunt nitentes properemus; Disjectisque ædium claustris in apricum prodeamus, ac felicem Misniam ac Misniæ decora revisamus, nostrum maximè AUGUSTOBURGUM, Augusto nomine non minus quàm omne quicquid fere est tot retro seculorū & venturi ævi, ut auguror, decorum ac elegantiarum, mirabili compendio complexum. Huc mecum ceu duce, vel illuc vobiscum ego comes properabim⁹ adspectaturi locum omni laude potio-rem.

Ictus formâ haud vulgari animus & hinc judicio ex externis formato interna cognoscere ardebit. Externa verò, quæ visum morantur, sunt primum Augustoburgi situs, qui nescio an cum ipsa ædium mole, aut an illa cum hoc de prioritate certent? Lætitia agrorum pratorumve nemoribus opacis ferarumq; copia jucundissimis circumdatorum mirificè adhuc rapit oculos detinetve, haud secus atq; olim, Annalibus testibus, *Augustissimi hujus Arcis-Conditoris Serenissimos Principes Parentem Henricum Patruumq; Georgium, Duces Saxoniae*, regum illo exercitio, Venationi vacaturos pellexit adeò, ut nullibi majori cum animorum delectatione, quàm *Schellenbergii*, quod nominis ipsi tunc erat, diverterent; nec immeritò. Equidem præterquam quod voluptatis hic locus è *succollante visendæ altitudinis monte* caput extollit, totq; semper viridantibus arborum ramis, (qua felicitate Sylvarum gloria pinus & umbrosa abietum soboles sola fere fruitur) Incolarum oculos, stomachũ vero delicatissimis è gemino, quo mordetur, fluvio, *Tzschopâ & Flæa* piscibus ferisq; omnis generis sapidissimis pascit, tantũ non quoq; Centrũ est tot populosissimarũ imprimis metallicarum, quales sunt *Annæ- & Mariæberga, Wolckensteinium, Schnee- & Schwarzenberga, Zuvickavia, Tzschopa, Kemnitũ,*
eum

cum *Rochlitzio, Freiberga*, aliæq; metallis imprimis ad invidiam notæ. Ad hæc verò tempe quoties spatianti animus est, oculis colli mantibus veluti ad metam, quæ æmanitas? Eadem ut Optimorum *Parentis & Patru* memoriam eò melius coleret, causa fuit, ut finito famosissimo Bello Gothico, cujus erat summus Præfectus, præsentis Dædalei operis auctor, *potentissimus septem vir Augustus Dux Saxonie* Gloriosissimæ memoriæ, postquam decimo quinto Kalendas Septembris Anni supra millesimū quingentesimū sexagesimi septimi jusfisset prioris *Schellenbergiorum* ædis senectutem demoliri, tantæ molis & pulchritudinis ædificiū, jactō 3. Kal. Aprilis A. CIO DLXVIII. lapide fundamentalis, sequenti clō DLXIX. anno & reliquis conducto tunc temporis celeberrimo *Illustrissimi Comitis Schwarzenbergii* Architecto & Artifice *Erhardo à Mehr* demum adhibito *Illustrissimo Comite Rocho de Linar*, coactisq; insuper undiq; fabris & quotidie supra mille imperatis operis nondum toto *quinquennio* molitus perfecit. Neq; tamē prius eò habitū concessit quàm trinā cōcione per M. Philippum Wagnerum habitâ, pro eâ, quâ semper in Deum fuit pietate, quam & Symbolum loquitur primis in æramentorum turri literis, A. G. E. H. U. B. D. W. i. e.

A. G. E. H. U. B. D. W. i. e.
A. G. E. H. U. B. D. W. i. e. / Gott Er Halt Uns Bey Deinen Wort/
 custodis loco visendū, Deo cōsecrasset. Huic & primas in hac

B

Majestatis

Majestatis plenissimâ Domô destinavit, *Templum* scilicet, intus circum circa ad audien- dum verbum divinum elata, latisque com- modâ, è regione altaris, præter geminum e- undem in finem *Principi & sequiori Sexui* e- gregiè paratum hypocauftum, usque ad la- laqueatum perfractò lapide tectum, triplica- ta statione. In hoc iterum & Altare visitur ce- leberrimi tunc temporis & in Germania ex si- gno angvino noti Apellis manu factò Cruci- fixo JESU, ac sub eodem, ex uno latere *Augu- sti*, suorumque *octo filiorum*; ex altero verò suæ è Regia Danorum stirpe oriundæ *Conju- gis Annæ*, ac *sex suarum natarum*, omnium flexis genibus, & sublatis in coelum manibus precantium imaginibus, accuratâ *Epigraphe*, ac *Insignibus* hinc Saxonis *Electoralibus*, illinc *Danicis* insigne. Præterea *suggestum* à non minoris Artificis ex angve albo noti pi- ctoris manu, historia *JESU* *annunciati, na- scentis, baptizati, crucifixi, sepulti & resurgen- tis*, aliisque tot admirandis conspicuum, ad- eo ut ea vel sola aliquem in admirationem ra- ptura sint, nisi majora forent, & totius hujus stupendi operis undique eximia forma: quam nondum ingressi priusquam penitus lustre- mus, non pigebit paululum in ponte aliquot è lapidi-

lapidibus excitatis sub publicis scite fulto subsistere, & ex Antipagrumentis eorum, quæ dixi, & dicenda restant, compendium quoddam legere in hoc oculiferio:

ANNO M.D.LXIX.

Imperante

MAXIMILIANO II.

AUGUSTUS

DUX SAXONIÆ, ELECTOR

ET ARCHIMARSCHALLUS IMPERII

ROMANI

Animi reficiendi causa

Hanc arcem loco delecto & amoeno condi-

fecit: ut tanquam ex ungue magnum Magni

illius Principis animum censeas.

ANNO M.DC.III.

Imperante

RUDOLPHO II.

refici curavit

CHRISTIANUS II.

DUX SAXONIÆ, ELECTOR ET

ARCHIMARSCHALLUS IMPERII

ROMANI.

Ut fortunarum, ita virtutum avitarum hæres.

Precare bene, quicumque hæc legis, Principi de salu-

te publicâ & de singulis benè merenti.

Quod nec vestra Pietas, *Auditores Splendidis-*

simi, tanti *Herois* non minori *Pronepoti*, Præsenti

85005(8)500550

Electori Potentissimo Johanni Georgio II
negabit, cum jam ingrediendum fit hoc plus-
quam Regium Palatium. Observamus autem
primò, totum ædificium in quatuor domos
ceu præcipuas partes distingvi. Prima voca-
tur domus *Tiliæ*; altera *æstiva*; tertia *lepo-
rum*, postrema *culinaria*. Harum ea commu-
nis est laus, quod singularū forma quadrata, nexu in-
divulso ad proximam, eoque perquam opportuno,
cum *triclinia* tricliniis, porticus porticibus responde-
ant, & transitū nullis gradibus, maceriis, angulis impe-
ditū rectà præbeant. Quatuor contignationibus par-
tes singulæ in fastigium æquale adfurgunt, & per-
petua cōcameratione sustinētur, quæ mox cellas sub-
terraneas præbet, cuparū vini quingentarū capaces.
Parietes ex secto lapide, quem calx Babylonico bitu-
mine tenacior coagulat, ut vix commissuræ deprehē-
dantur. Par fenestrarū vitrearum octingentis & quin-
quaginta pluriū, quibꝰ illustratur, superbia. Tecta ar-
menio lapide strata, quorū defluviū canalibus cupreis
per orificia cervinorū capitū species repræsentantibꝰ
excipitur. Quod olim à Vitruvio monitū, uti humor à
fundamentis ædium longius destillans minus damni
jugi defluxione inferret. Impositus vexillorum iti-
dem minorum ex stanno, majorum cum *Insignibus
Electoralibus* ex cupro conflatorum ornatus ventis
molliter inflantibus jucundum ludibrium debet, fe-
rè ut summis navium malis flabra auræ adverfan-
tis motitant linteorum subtilitatem. Hæc etiam
contemplatos, & præfatos portæ nos propinquasse
sentio.

sentio. Illam verò five columnarum arcusve materiam, five opus adspectatis, cum multis veterum columnis, quæ Romanam superbiam sustinere, cum variis triumphali specie arcubus certare, posse ultrò fatebimini. Nec moror. Ingressos potiora manent. Ac ut à *Jova* principium sit, ad *Templum*, quod jam attigimus, primò properamus. Id ab imo ad tegumen altissimum totum ornatum & porticibus distinctum est, columnæque maximæ molis parietes adornant. *Altare & suggestum* utrumque ut jam audivistis splendore & magnificentiâ inclytum. *Organi Musici concentus* æquè ut extima facies jucundissima. Adeò & reliqua ejus monumenta tam apte & pulchrè fabricata, ut Sophiano illi Constantinopolitano, Ephesino Dianæ, Ægyptiaco Serapidis, Pantheo Romano, Escuriali Hispanico, Mariano Parisiensi, & si quod aliud famam sui quantamcunq; meruit, in multis si non par, propinquum tamen, pro rerum, temporum ac hominum fortunâ videriqueat Uno, cujus in gratiam omnes ædes sacræ confurgere debent, illis universis antecellit, vera sc. *Numinis æterni gloriâ*. Nec enim templum dicetur, cujus DEUS nullus nisi fictus pictusve, nec dignum miraculo molem arbitrabimur, ubi vel idolomania, vel absurda, verboque divino adversa superstitio, specie aliqua pietatis, fervet. Quibus cunctis quantum nostri illius & *Numen & cultus* Numinis à prioritate E-

vangelicæ doctrinæ formatus antistit, me vel mu-
tescente, satis liquidum est; ac opportunus modò
ad humani victus receptacula transitus. En enim,
illam *domum Tiliæ* titulo signatam nunc introi-
mus ubi statim in oculos incurrit *primum tabulatum*
maximæ capacitatis, quod commodissimis, & per
tabulas, quæ partim res fortissime in bellis Hun-
garicis contra Turcas, quibus & nomen terrori e-
rat, immortalis honore dignissimi *Semonis Divi*
Mauritii gestas partim vetustissimam simul atque
artificiosissimè pictam Crucifixi Imaginem com-
plectuntur, aliâque suppellectile preciosissimâ, sum-
mæ in hoc Patriæ Patre pietatis ac sollicitudinis
indice certissimâ, ornatissimis circumcirca concla-
vibus *Electoris & Augustæ Conjugis*, aliisque fa-
mulitio & aulicis destinatis splendet. In *secunda*
contignatione videmus ejusdem amplitudinis tabu-
latum, ducens nos in conclavia *Electoralium libe-*
rorum, præsertim successoris Christiani Primi. In
tertia contignatione offert se splendidissimum ta-
bulatum, ubi, supra parem reliquis pompam & ar-
dearum depictum certamen, non sine oculorum
voluptate & summa admiratione picta spe-
cie eminet *AUGUSTUS* cum *MAXIMI-*
LIANO Cesare ad vivum expressus, in
connivos, ut ita de picto loquar, oculos
in advenientem, & quovis loco stantem
vertens. Suntque in hac domo duo *balnea*,
quorum alterum latera & fundamentum
plumbo obducta ac omnia ad nutum lavan-
tium

tium commodissimè extructa habet, in quo etiam
ridera quædam exercitiorum mechanicorum ipsius
Augusti videre est. Sed Pergamus compendio ad
secundum *Domum* ab *æstate nominatam*; Nume-
ramus, & heic totidem tabulata, nec pauciora,
conclavia, inter quæ excellit *saltatorium trichorum*,
in cuius medio supra verticem porticus pro musi-
cis aptata quasi pendet. Huic annexum est spa-
tiosissimum tabulatum, quod vocatur principum,
ubi *Saxonicæ stirpis Duces & Electores* longo or-
dine depicti sunt. Inde nunc pergemus ad *tertiam*
Domum, quæ à *Leporibus* hinc inde pictis & nullas
non actiones hominum quasi æmulantibus dicitur,
eâdemque, ut ceteræ, curâ nec sine singulari ope-
râ pictorum expolita animum movet. Cum primis
tabulatum tertium, quod *Veneris montem* indigi-
tant, dignum est consideratu, ob picturæ sciagra-
phicæ supra fidem mirabilis artificium. Vi-
rescere ibi sylvas, ferarum agmina, ac inter
coeteras Cervum, quod visu mirum, ubivis i-
bidem locorum Teintuentem, temerè vaga-
ri, & ad Orpheum in quercu cum fidibus suis
pictum fictumque properare, ceu coram ad-
vertitis. Ut non jam cortinam Zeuxidis, aves
Protogenis, aliave vivam mentita speciem
ex antiquitate tanti reputemus. *Quartæ*
demum *Domus* opus prioribus par absque
omni dubitationis alea faciundum & stru-
cturâ & Coenaculo, quod & picturis, & sa-
luberrimis è Scripturâ depromptis regu-
lis,

lis, in commestationes & aulae peccata invecivis, claret, culinaribus etiam instrumentis ad dapun-
structuram notabilis. In his ergo palatiis ferè septuaginta sex majora & minora triclinia cum cubi-
culis ultra centum; ac singula camino, & pleraque fornace quoque instructa contra frigus numeran-
tur. Utrisque intus & extra *ambulacro* five *circum columniò* multi laboris & artis circa tertiam conti-
gnationem cingitur, ut inde quis sine periculo pos-
sit & ambulando fatigari, & in longe diffitis locis commeantes contemplari, fruique tot deliciis, quas undique aptè disposita montium recta, collium fle-
xa, porrecta camporum, viridantes arborum co-
mæ, ac renitentium Saxorum splendor affatim sup-
peditant; Sed nunc descendimus, ubicunque libue-
rit per tantum scalarum compendium, ut nusquam eas animadvertas, nec tamen quæras, cum ubique sine dispendio ædium transitum amplissimum & aptissimum sufficient. Egredieremur jam per por-
tam quæ sub æramentorum turri est, nisi antipag-
menta, & quæ in iisdem legitur, Epigraphæ remora-
rentur. En Vobis istam,

In medio supra portam,

Et Nostra hIC restat VirIDans è GerMIne RUta.

Ad dextrum Latus simul atque sinistrum,

D. O. M.

Sospitatori Unico.

s.

Dux Avus Augustam hanc Augustus condidit arcem

Ensifer Imperii Patriæ in Misnensibus arvis.

Curabis Ensiferum hanc fecit reparare nepotum,

Ex

*Ex jussu primum Christiani nempe secundi.
 Jamque iterum jussit Janus renovare Georgus
 Ensigner Imperii sacrique Vicarius olim,
 Imperii ut Cæsar Rudolphus liquit habenas,
 Et nondum Cæsar Matthias sumpsit habenas.
 Est Augusta Domus, quam stirps augusta perennet
 Plures ex unô videatque nepote nepotes.*

Lectâ hâc & votis factis transire nunc licebit, sed quorsum? En occurrit mox ædificium aliud aream includens, cujus fundamenta concava & in Hypogea divisa sunt. Longa verò si videtur via & distractus in tot partes animus langvet, fitisque si urgeat à motu continuo, vertite, & ecce vobis *puteum* qui succurrit ad miraculum preciosus. Is cum fodi primò coepisset, petra occurrebat incredibilis duritie. Molliendæ quæ ratio? illinebatur petra aceto calente, post impositis lignis addebatur ignis ut mitescens Saxum ferro cederet. Intra septem hebdomatas trium cubitorum altitudinem penetrare vix in viribus quinum hominum erat. Attamen isti pertinaci labore ducentos & triginta cubitos in altitudinem, ambituq; sex orgyarum circularem, prætereaque *cuniculum* 20. ulnarum protensum, ultra duas latum & altum vi perfregerunt, & sic aqua nobis superflua. Ea viginti quatuor horarum spatio collecta ulnæ profunditatem explere, ac jugo boum circumactò attrahi solet: Attracta novem è plumbo solido receptaculis excipitur, & per Canales ac siphones inde derivatur in balinea, culinas ac lotricum vaporaria, ut ubivis profit, nuspiam desit.

D

Sumptus

Sumptus autem, qui requirebatur ad hoc opus, extenditur in septuaginta millia rhenanorum. Huc quoque absque dubio trahi debent illæ *ædes à piscibus nomen gerentes* pulcherrimæ, semperque magnam animi recreationem causantes, æquè ac circumjacentes campi, horti, piscinæque, in quibus trutæ bicubitales jecore & hepate boum aluntur. Illic copiâ omnis generis sub æde & ponticulis lussitant ac vagantur rubricosa piscium soboles, aspectu jucundissima. Ipsæ ædes artificioso fonte & spirant, & humectant, & parietes ingeniosissimis Imperatorum, Regum, ac Principum Emblematis mirè spectantium oculos delectant; Sed cum hîc piscibus, tum in vivario arcem repetentes ursis, quod ferarum genus ibi alitur, escam objici deprehendemus. Hæc diligenter lustrata fallor, an fatigarint Vestrum quenquam, AUDITORES. Non certè satiatur oculus visu tam nobilium & gratiorum ostentorum. At si vel animi, vel loci gratia paulum desiderare ac morari juvat, agite dum & mecum concedite sub umbram arboris, cujus verò? *Tiliam* illam dico, miraculum vel raritate vel usu gratiave unice venerabile, & cum capacissimis Indiarum, quas jactat & familiis quoque totis habitandas subjicit sine jacturâ incrementorum, arboribus ramorumque extensione certans. Paucis VOBIS patentissimum fessorum & præsentaneum adversus ardorem solis receptaculum adumbrabo.

Tilia

Tilia hæc extra ambitum arcis excrevit. Jam Anno Mille-
 simo quingentesimo octavo rami 14. ulnas transversim
 se extenderunt, novaque craticulâ, jam decem ante condi-
 tam æcem annis, habebat opus, eâque maximâ. Unde ejus
 amplitudinem ante seculum jam admirati mortales, quid
 nunc post seculum de eâdem sperent, dicam? Stirpis cras-
 sitis penè sedecim ulnas amplectitur; ramorum circuitus
 ducentas & viginti supra quatuor. Rami in craticulis requi-
 escentes columnis septuaginta septem nunc fulciuntur,
 mox pluribus; Ut commode subter illius umbram centum
 & viginti mensas sternere quis possit. Hic igitur, si placet
 mecum assidete, & inter narium delicias, quas flores *tiliæ*
 faciunt, uti aurium, quas a viculæ intercinentes inducunt ir-
 ritamenta, repetite AUGUSTO BURGI decorem, &
 ipsi judicate, an non ejus eminentia inter perplura loca sit
 maxima. Enim verò concurrunt omnia, quæ in ædibus e-
 gregiis spectamus, magnificentia & ars, ut pulchram, ju-
 cundam, concinnam, & justâ *συμμετρίᾳ* exactam intelliga-
 mus. Hujus autem domûs pulchritudo non ad barbaricos
 aliquos oculos, neque ad Persicam arrogantiam, aut regiam
 jactantiam comparata est; neque pauperem modo specta-
 torem, sed ingeniosum aliquem postulat, & cujus in visu
 non solum judicium, sed & consideratio aliqua atque æsti-
 matio vera sequantur. Nam quod & ad pulcherrimam di-
 ei partem respicit (pulcherrima autem ipsius pars & amabi-
 lis maximè, principium est) & solem orientem statim exci-
 pit, & lumine ad satietatem usque repletur foribus adaper-
 tis, pro eo ac Veteres quoque templa sua statui, & ad solem
 versa voluerunt. Deinde quod & longitudo cum latitudine,
 & rursus utraq; hæc cum altitudine justa proportione con-
 sentiunt, & fenestræ liberæ undequaq; à nulla parte impedi-
 untur, & ad quodlibet anni tempus benè comparatæ atque
 appositæ sunt: Hæc, inquam, quomodo non sua via omnia &
 multa laude digna? Præterea autem & tecti miretur quispi-
 am illud, quòd in tam pulchro nihil affectatum aut minimû
 in tam eleganti nihil, quod meritè reprehendere possis.

Proinde ea quæ ad fastigium & verticem
 Domus pertinent hujusmodi sunt, ut Homero ali-
 quo laudatore opus habeant, qui illam vel celsite-
 etam, perinde ut Helenes thalamum, vel splendo-
 rosam, velut olympum ipsum appellet. Reliquum
 autem ornatum, ultra duo nempe Millia *Alcarum,*
damarum, capreolarum, rupicaprarum, capricor-
norum, cervorum, aliarumque ferarum affabrè fa-
 cta, naturamque imitantia capita, & adjecta, ut
 ipsa natura formavit, cornua quis satis ebuccinabit?
 Parietum picturas & colorum pulchritudinem &
 cujusque evidentiam, & diligentiam & veritatem,
 cum veris aspectu & prato aliquo florido haud ini-
 quum fuerit comparare: Nisi quod illa quidem de-
 florescunt, & immutantur, & abjiciunt pulchritu-
 dinem: Hoc autem ver perpetuum & pratum nun-
 quam marcescens, & flos immortalis, utpote solo
 visu apprehendente hæc & decerpente svavitatem
 eorum, quæ carpuntur. Non igitur abripito *NO S,*
 vel fabulosa Alcinoi Homerici Domus, vel Ilium
 Priameum, vel magnificentia Amphitheatrorum,
 molis Hadriani, Thebarum, Pyramidum, Mausolei,
 murorum Babylonicorum, Colossi Rhodii
 aut Capitoli. Par heic monumentum inge-
 nii, animusque, ut multò major intus & splen-
 dor & splendorem secuta majestas. Quis ille
 verò? splendor, gemmæque *Augustoburgi*
gloria Numinis Sacro-Sancti vera certa que est;
 Majestas ab *auctore,* qui de suo nomine
 appellavit, multo amplissima consurgit.

Augustus

Augustus ille Elector pius, justus, pacis studiosus, religionis propagator, literarum restaurator, ditionumque suarum rector felicissimus. De quo, velut de magna Carthagine Salustius Crispus judicabat, tacere præstat, quàm paucis & infirmis tantam claritatem attentare. Benè precari tamen memoriæ Herois illius licebit, gratulari nobis patriæque toti, quæ hoc rectore convaluit, & ab illius sanguine Hæredes tam gloriosos tam Augusto avo patriæque ἐφαιμίλλας conspexit. Faxit DEUS Ter Optimus Maximus, ut Saxoniam & Augustoburgi Domini semper sint Augusti, ut sub eorum laudabili regimine DEI cultus servetur sincerus, & publici boni commodum adaugeatur æternum.

D I X I.



